



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. VII. Utrum perseuerantiæ donum ex libero arbitrio recipientis
pendeat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

vt declaravi: neque quoad illius donationem, vel collationem, quia non datur propter aliquam dispositionem liberam recipientis: nec denique quoad ipsum perseverare actualiter, quia hoc non fit in his personis per actus positivos, ne dum liberos, sed fit per solam carentiam, seu negationem novae culpae, quae in eis libera non est, vt declaravi. Quæstio ergo est de dono, quo perseverat iustus adultus per proprios actus.

auxilijs gratiæ generatim dictum est: & pro arbitrio solo ipsius Dei infunditur sine consensu libero recipientis, nimirum quoad ipsam infusionem talis doni, nam quoad usum eius id non procedit, vt iam dicemus.

Præterea in quarto puncto de efficacia huius doni in actu secundo, id est, de actione eius, & influxus in actus liberos voluntatis, propter quos efficiendos datur, certum est, donum hoc ad hanc efficientiam suam postulare liberam cooperationem liberi arbitrij, & sine illa suum influxum præstare non posse. Hoc etiã ingenue concedit dictus Auctor in sua conclus. 2. est enim evidens, quia hoc auxilium non potest in nobis sine nobis huiusmodi actus efficere: quia ipsi actus, vt vitales sunt, essentialem dependentiam habent à nostris potentijs, vt vero liberi sunt, ab ipso libero arbitrio, & potestate eius ad non consentiendum quasi formaliter in esse libero constituntur. Vnde recte dictum est in lib. de Ecclesiast. dogmat. c. 21. *Vt non labamur in adepto salutis munere, sollicitudine est nostra, & diuini pariter adiutorij.* Idem docet Prosper. lib. 2. de Vocat. gent. c. 26. Cum ergo hoc donum non possit sine libera cooperatione voluntatis hos actus efficere, consequenter nec potest influxum suum sine libero arbitrio præbere, quia eius influxus non est, nisi eius actio, & actio illa est vna, seu indissolubilis doni, seu auxiliij, & liberi arbitrij, & ideo sicut liberum arbitrium non potest influere in actum sine tali dono, ita nec tale donum sine libero arbitrio, utiq; quoad necessariam concomitantiam, seu mutuam cooperationem vtriusque principij, quicquid sit, an in modo influendi emineat, seu perfectus influat donum, seu principium supernaturale gratiæ, quod nemo negat, neq; in controuersiam nunc venit, quia cum hac inæqualitate potest esse simultas, & mutua connexio necessaria inter vtrumq; principium.

6. De quo supponimus secundo vt certum bonum hoc non tollere libertatem in illis actibus, per quos perseveratur. Ita docet dictus Auctor in sua conclus. 3. & optime probatur ex illo Ecclesiast. 11. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Nam sine dubio hoc maxime de perseverantia dictum est: ergo donum perseverantiæ nō aufert ab illo peccandi libertatem. Ideoque merito dixit Prosper lib. 2. de Vocat. gent. cap. 27. in principio, quod Deus ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, vt etiam à perseverantia illum potestatem, quae potest nolle, non auferat. Denique eadem est ratio de hoc dono, & de quocunq; speciali auxilio efficaci præueniente, quia hoc donum non est, nisi cumulus talium auxiliorum vt explicatum est.

7. Tercio, tria, vel quatuor sunt in hoc dono distinguenda. Vnum est substantia, seu entitas illius prout in nobis physice fit: secundum est collatio illius quatenus aliquo morali modo potest à nobis pendere. Tertium est efficacia illius, quam subdistinguere possumus & in hoc tertio loco efficaciam in actu primo intelligere, quae non est, nisi virtus actiui ipsius doni: & quarto loco ponere efficaciam in actu secundo, quae est actualis influxus in actum, quo homo perseverat. Vnde possumus etiam addere ipsum effectum talis doni, qui est actu perseverare, & proprie dicitur perseverantia ipsa actualis. Igitur de primo istorum nulla est controuersia. Nam certum est, tale donum non pendere physice à nostra voluntate, vt libero arbitrium est. Hoc enim conuincit ratio illa, qd hoc donum pertinet ad præuenientia auxilia, quae Deus facit in nobis sine nobis libere cooperantibus. Dixit autē, vt *liberum arbitrium est*, quia sicut auxilium efficax præueniens, & internum non fit in nobis, nisi physice efficientibus, quamuis non libere, ita hoc donum, cum non sit, nisi quædam collectio, seu ordinata successio talium auxiliorum, licet non pendeat à voluntate vt libere operante pendet nihilominus ab illa, & ab intellectu vt physice influentibus, vtrique respectiue, & cum distributione accommodata, nam hoc donum actus intellectus, & motus voluntatis includit, & ita illi ab intellectu, ista à voluntate physice pendet, quia vitales actus sunt, licet non libere, sed modo naturali in eis, & ab eis fiant.

8. Deinde de tertio, id est, de efficacia in actu primo talis doni, conuenimus non habere illam à libero arbitrio, nec quoad hoc ab illo pendere. Quod probant aliqua ex argumentis factis, vt respondendo dicam, & ex præcedenti puncto est manifestum. Quia hæc efficacia, seu actiuitas, vt cum minori æquiuocatione loquamur, non est aliquid distinctum à substantia talis doni, & quamuis à nobis possit illa actiuitas considerari, vt proprietates talis entitatis, erit distinctio rationis, non rei: & ideo non aliunde habet tale donum actiuitatem suam, quam vnde habet substantiam, & entitatem suam: sicut ergo in entitate non pendet à libero arbitrio, ita nec in ipsa actiuitate in actu primo. Habet ergo illam effectiue à Deo principaliter efficiente, & à potentijs nostris eo modo, quo ab illis fit: formaliter vero ex se, & natura sua talem habet actiuitatem, quæ etiam secundum rationem considerari potest à tali entitate intrinsece resultans. Speciali vero modo dicitur hoc donum quoad hæc duo à solo Deo pendere, quia & ipse solus est principalis causa eius, vtriqueque nostris potentijs tanquam instrumentis ad illud infundendum, sicut de

Assertio 1. hac in dubitatione.

Assertio 2.

Tandem supponenda est quadruplex huius doni distinctio.

9. Assertio 3.

Non obstante vero hac necessaria connexione, ad idem dicit dictus Auctor in eadem assertione, donum hoc non pendere à libero arbitrio in sua efficacia in actu secundo, idemq; dixerat de auxilio efficaci in disp. 90. conclus. 2. ad quem locum probationem remittit. Vbi solum in prædeterminatione physica talium auxiliorum totum fundamentum huius partis constituit. Vnde argumentatur, quia efficacia gratiæ est prior cooperatione liberi arbitrij, quia etiam, vt adiuuans, & cooperans est præueniens, & cooperatio liberi arbitrij est posterior, quia est effectus eius. Hoc vero fundamentum in primis supponit falsa principia, quæ auxilium efficax non prædeterminat physice voluntatem in actu primo, seu prius natura, quam ipsa operetur, nec etiam prius natura efficit actum secundum, quam ipsa voluntas, id enim repugnantiam inuoluit, cum actus ipse vitalis sit, & liber, in quocunq; signo naturæ consideretur. Vnde nō minus repugnat, vt idem auxilium, quatenus cooperans est, prius natura operetur, quam potentia, quæ illi cooperatur, quæ omnia in lib. 5. lata probata sunt. Quapropter loquendo in particulari de dono perseverantiæ, sicut volumus illo dono affecta nihil operari pot. sine influxu, & actione illius doni, ita etiã è contrario donū ipsum non pot. efficere actū, seu actionem voluntatis sine voluntate, neq; in instanti tēporis, neq; in ordine naturæ. Quo principio verissimo supposito, solum relinquitur quæstio de nomine an propter illam necessariam connexionem in tali operatione, possit donum illud dici dependere à voluntate in tali efficientia, quæ vocatur in actu secundo. Et quidem si verbum, dependendi, habitudinem effectus ad causam significet, vt philosophicus rigor interdum exigit, sic clarum est, in quo sensu non dependere tale donum gratiæ à voluntate, quia donum per se non est effectus eius, utiq; in genere causæ efficientis, seuerantia vt loquimur. Alio vero modo, dependendi verbum pendeat à etiam in communi, & proprio sermone accipi solet libero hominibus, ita vt significet necessitatem alicuius conditionis, vel alterius concausæ ad agendum, Sic enim trio.

Hh 2 dicitur

dicitur ignis dependere à conuenienti applicatione in agendo, & sol in illuminatione orbis dici potest dependere à motu suo, & visus pendere in videndo ab specie, & lumine. Hoc ergo modo inter eos, qui terminos intelligunt, & sincere veritatem amplectuntur, recte, & sine vilo inconuenienti dici potest, donum perseverantiæ in actuali efficientia sua à libero arbitrio pendere tanq̃ à concausa, sine cuius cooperatione nihil efficere potest, sed tantum afficere, & excitare potentiam, non effectiue, sed formaliter, sub quo respectu habet rationem præuenientis gratiæ, non adiuuantis propriæ, seu cooperantis, vt in lib. 5. generaliter dictum est. Neque etiam oportet fingere, q̃ liberum arbitrium prius natura opereatur, quam donum perseverantiæ, vt tacite supponit Aluar. in dicta disp. 90. n. 8. & 9. nam satis est, quod omnino simul influat liberum arbitrium cum dono, seu auxilio perseverantiæ: quia in concausis, vt dicto modo inuicem pendent, satis est si multas insuperabilis in agendo, ita vt vna sine alia efficere non possit.

Occurrit tacite obiectioni.

Obiectio.

Solutio 1.

Illustratur exemplis.

Alterasolutio.

Exemplum optimum.

Alius applicatio.

Sed obijciunt, quia etiam in hoc genere dependentiæ inter concausas non dicitur vna causa pendere ab alia, nisi quando vna est superior, & subordinata alteri: at vero quæ superior est, & cui altera subordinatur, non dicitur etiam illo modo pendere ab inferiori sibi subordinata, quia ipsum nomē dependentiæ indicat superioritatem. Vnde non dicitur Deus pendere à causis secundis etiam in his, quæ cum illo concaulant. At vero liberum arbitrium est inferius dono perseverantiæ, & illi subordinatur, ergo ipsum arbitrium pendet à dono in tali efficientia: non è conuerso. Respondetur primo, negando assumptum, quod non solum in inferiori respectu superioris, sed etiam in aequalibus causis, & in superiori respectu inferioris habet locum, & est vñtata illa locutio: nam si duo portantes lapidem ad id sufficiunt, & neuter per se potest, optime quilibet illorum dicitur ab altero in portando pendere, quia neuter sine altero posset illud facere, & simul possunt. Et non solum species pendet à visu in efficientia vilionis, sed etiam visus à specie, quāuis non visus speciei, sed species visui subordinetur. Et in materia propinquiori voluntas informata habitu charitatis, minus principalis causa est actus ab utraque elicit, quam ipsa charitas, & nihilominus non solum dicitur voluntas pendere à charitate in illa actione, sed etiam charitas à voluntate. Imo hoc secundum in rigore generalius est, quia charitas nullo modo potest efficere actum suum sine voluntate, voluntas autem posset illum elicere sine habitu, per auxilium actuale.

Vnde etiam dici potest, quod licet in entitate, & virtute sua charitas excedat voluntatem in efficientia talis actus, nihilominus in eadem efficientia quatenus libera, & quatenus vitalis, habitus subordinatur voluntati, & ideo etiam dicitur voluntas vti tali habitu ad operandum. Vnde propter hanc etiam specialem rationem potest dici habitus ille pendere à libero arbitrio in efficientia sua: ergo pari ratione potest idem dici de dono perseverantiæ vel propter absolutam necessitatem talis concausæ, vel quia actus ille, vt vitalis est, & liber, speciali modo pendet à voluntate, & quia in illa actuali efficientia voluntas bene vtitur auxilio diuino, sicut bene vtitur suo habitu, quamuis sub alia ratione illud auxilium sit simpliciter prius, & ducat, ac regat voluntatem. Et hoc exemplum de habitu charitatis soluit obiectiones omnes, quæ circa hoc fieri solent. Nam ex eo, q̃ habitus charitatis pendeat dicto modo in sua efficientia à voluntate, non sequitur mendicare actuale efficientiam à libero arbitrio, nec sequitur, q̃ voluntas det illi efficaciam, sed solum sequitur, nec posse habitum exercere suam efficientiam sine coefficientia voluntatis, nec posse habitum libere efficere, nisi dicto modo à voluntate libera in agendo pendeat, quæ verissima sunt, & quantum assequi possum necessaria. Idem ex-

go de dono perseverantiæ dicendum est, nam quantumuis sit efficax, non potest vitaliter, & libere suam exercere efficientiam, nisi eodem modo à libero arbitrio pendeat in agendo. Est n. eadem ratio. Nam licet auxilia, per quæ datur perseverantiæ donum in se finit actus vitales, & sub illa ratione secundi, nihilominus in ordine ad consensum liberum comparantur vt actus primi, & ita dici potest voluntas illis vti libere, & sub ea ratione donum illud in agendo à libero arbitrio pendere. Ad exemplum aut de Deo iam in superioribus. Obiectio soluta. Responsum est, Deum absolute non posse dici pendere à causis secundis, quia quod cum illis agit, posset sine illis efficere, tamen si consideretur præcise vt causa prima efficiens cum secundis, sic etiam dici potest pendere in illo genere efficientiæ à causis secundis, per quod verbum dependendi solum significatur, dum non applicat suam potentiam ad agendum, plus quam applicet ad influendum cum causa secunda, non posse talem actionem, vel effectum sine causa secunda producere.

Ex quibus manifestum est, quid de quinto puncto, id est, de ipso effectu productum ab auxilio doni perseverantiæ dicendum sit, nimirum, pendere à libero arbitrio. Nam siue in illo effectu consideretur terminus illius efficientiæ, siue actio, per quam ille terminus fit, vtrumque dependet à libero arbitrio, licet vtrumque sit etiam ab ipso perseverantiæ dono. Probat, quia effectus ille in termino suo non est, nisi actus ipse vitalis, prout est qualitas quædam, quæ effectiue pendet à voluntate libere influente in ipsam. Actio etiam, per quam illa qualitas fit, eadem indiuisibilis est à potentia, & dono gratiæ: ergo illa actio quæ est à dono perseverantiæ, est à libero arbitrio: ergo per se ipsam à libero arbitrio pendet, & per eam pendet qualitas, quæ est terminus eius. Iam enim in lib. 3. ostensum est, non posse ibi ex natura rei distinguere duas actiones, vnam à libero arbitrio, aliam ab auxilio, vel dono gratiæ, sed ad summum mentis præcisione, & consideratione, secundum quam verum est, actionem illam vt dicitur habitudinem ad auxilium, distinguere ratione à se ipsa, vt dicitur habitudinem ad arbitrium, sed cum hæc sit tantum mentis consideratio, non tollit, quin illa indiuisibilis actio ab utroque principio pendeat, & à singulis totaliter, non totaliter, seu solitarie. Præterquam quod etiam si præscindantur secundum rationem, habent inter se mutuam dependentiam non causalitatis propriæ, sed necessariæ connexionis, quæ ab intellectu eas sic distinguente ratione, per modum mutue concomitantæ necessario concipienda est.

Solum superest nonnulla controuersia de secundo puncto, seu de dependentia doni perseverantiæ à non. Resolutio. Arbitrio quoad ipsius collationem, seu receptionem. Est enim quæstio, an aliquis bonus vsus liberi arbitrii sit conditio necessaria, vel ratio, ob quam in bonum Deus nobis infundit perseverantiæ donum. Et vt se cap. mipelagianos vitemus, ac relinquamus, supponimus non esse quæst. de bono vsu, quem liberum arbitrium suis solis naturalibus viribus habeat. Satis n. in lib. 3. ostensum est, liberum arbitrium solis viribus nihil posse efficere, quod sit ratio, vel conditio recipiendi aliquid vel minimum beneficium gratiæ, nedum magnum perseverantiæ donum. Est ergo quæstio de bono vsu ex auxilio gratiæ. Et in hoc sensu præcipue negatur donum perseverantiæ pendere à libero arbitrio, id est, ab aliquo bono vsu eius. Et præter argumenta facta fundamentum præcipuum est, quia si donum perseverantiæ finalis penderet, quoquo modo à bono vsu liberi arbitrii eodem modo penderet prædestinatio, nam hæc duo iuxta doctrinam Augustini, & D. Thomæ pari passu currunt: absurdum autem est dicere, dari aliquam rationem, vel conditionem necessariam ex parte nostrā, à qua nostra prædestinatio pendeat: ergo.

Nihilominus contrarium verum censemus in legitimo sensu explicatū, Potest namq̃ intelligi quæstio penderet à bono

de bono vsu liberi arbitrij, qui ab illo sic cum ipsi-
met auxilijs, in quibus perseverantia doni consistit,
vel de bono vsu per alia auxilia distincta ab ipso do-
no perseverantia, ipsumque precedentia, nam subse-
quentia esse non possunt. Quia si donum perseveran-
tia fit consummatum, post illud non dantur auxilia
ad statum viæ pertinentia, cum in termino viæ, & nō
antea tale donum perseverantia compleatur. Si vero
donum perseverantia non sit consummatum, necesse
est, ut sit saltem inchoatum, & consequenter talia au-
xilia non erunt subsequētia, sed cōcomitantia ipsum
donum, vel potius erunt quasi partes ipsius doni, &
ita bonus vsus illorum ad bonū vsū ipsiusmet doni
perseverantia pertinebit, quamvis in ipsomet dono
possit vnum auxilium, & bonus vsus eius cōsiderari,
ut præcedens aliud auxilium, & eius bonum vsū.
Hæc vero comparatio in illis duobus mēbris, de vsu
præcedente donum, vel ab ipso præcedente compre-
henditur, ut dicemus, & ideo ad illa tantum duo
membra respondere necesse est.

16. Dico ergo primo. Nullus bonus vsus liberi arbitrij
consequens totum perseverantia donum potest esse
conditio necessaria, seu ratio obtinendi ipsum inte-
grum donum, aliquis vero bonus vsus procedens ab
aliquo auxilio pertinet ad perseverantia donum,
potest esse aliquis ratio consummationis eiusdem
doni. Ac ubi de totum donum perseverantia non
pendet ab aliquo bono vsu liberi arbitrij antecedente,
consummatio autem, seu progressus, ac perfectio
talis doni iam inchoati potest à præcedenti vsu liberi
arbitrij pēdere. Prior pars suaderi potest aliquo mo-
do motius contraria sententia, & præsertim illo de
prædestinatione. Propria vero ratio illius est, quia
primum auxilium gratia in aliquo ordine non potest
cadere sub aliquo merito liberi arbitrij, etiam si
sit imperfectum, & per modum cōgruentis rationis,
vel necessariæ conditionis, ut contra Semipelagianos
est: ergo neq. in presenti primum auxilium efficax,
quod ad perseverandum, vel potius ad inchoandum
perseverantiam datur, non potest habere fundamē-
tum in prævio bono vsu libero operantis, siue dica-
tur meritum, siue imperatio, vel dispositio, aut ne-
cessaria conditio. Probatur consequentia ex paritate
rationis servata proportionē, quæ in hunc modum
declaratur. Quia vel ille bonus vsus procedit ab au-
xilio gratia, vel non: si non procedit, certum est, non
posse esse rationem sequentis auxilij gratia, ut suppo-
sit ex doctrina catholica contra Semipelagianos: si
procedit ab auxilio, vel ab illomet auxilio, quod per-
severantia inchoat, vel ab alio prior, nō ab alio prio-
ri, quia supponitur illud esse primum, nec ab eodē, quia effe-
ctus auxilij nō potest esse ratio, ob quam datur idem
auxilium, tum quia est posterior, tum etiā quia aliās
idem auxilium esset ratio, & causa sui ipsius. Ergo nō
potest dari ex parte hominis ratio, ob quam illi datur
primum auxilium ad perseverandum: ergo nec potest
dari ratio totius doni perseverantia, nam in toto illo
dono primum auxilium includitur.

17. Dicitur forte, ad primum auxilium, quod ad per-
severandum datur antecedere auxilium ad iustifica-
tionem obtinendam, & per bonum vsū eius posse
hominem mereri primum auxilium ad perseveran-
dum. Sed contra hoc est, quia dispositio ad primam
iustificationem solum est ratio, vel causa ipsius iusti-
ficationis, non perseverantia, quæ posterior est, & in-
terdum datur, & interdū non datur: totus autē bonus
vsus liberi arbitrij ab illo auxilio pēdēs pertinet ad
dispositionem necessariam, vel convenientē ad obti-
nendā primā gratiā: ergo non potest esse ratio obtinen-
di aliud speciale auxilium efficax ad perseverandum
in illa. Denique talis vsus liber præcedit vel tempore,
vel natura ipsam iustificationem: ergo nondum po-
test esse ratio recipiendi perseverantiam: omnis au-
tem bonus vsus gratia subsequens iustificationem de-
scendit ad perseverantiam, & ita provenit ab auxilio

Pars 3.

efficaci dato ad perseverandum vel pro aliquo tem-
pore, vel simpliciter, si vsque ad finem progrediatur,
ac proinde non potest totum perseverantia donum
in prævio vsu liberi arbitrij aliquo modo fundari,
aut ab illo pendere.

Altera pars assertionis probatur contraria ratio-
ne, quia donum integrum perseverantia multa præ-
venientia, & efficacia auxilia includit, quæ non simul,
sed successive opportunis temporibus dantur: ergo
optime intelligitur, & fieri potest, ut ea lege dentur,
quod homo bene utatur primo auxilio, ut recipiat
secundum, & secundo ut recipiat tertium, & sic de
cæteris. Probatur consequentia, quia ille prior vsus
iam procedit à gratia tam auxiliante, quam sanctifi-
cante: ergo de se potest esse dispositio, vel ratio pro-
portionata subsequētis auxilij, & alioqui est hoc
consentaneum diuinæ providentiæ, & iustitiæ: ergo
nihil vetat ita fieri, quamvis non sit de hoc certa, &
infallibilis lex statuta, quia potest Deus & non dare
secundum auxilium efficax bene operanti per prius
auxilium, & dare illud multo maius, & abundantius,
quam priori bono vsui correspondeat, diuidit enim
singulis, prout vult. Et confirmatur ex Augustino
supra dicente, posse iustum hoc donum simpliciter
emereri, quod non potest de toto, seu integro dono
intelligi, ut in priori parte probavi: ergo oportet in-
telligi de progressu, vel consummatione talis doni:
at meritum est ratio obtinendi donum, quod pro-
pter illud datur, & potest esse conditio necessaria ex
ordinatione diuina. Idem argumentum fumitur ex
eo, quod potest iustus donum perseverantia impet-
trare, aliās frustra illud peteret, cum tamen certum
sit, petendum esse à Deo. Simile est, quod Caietan. 1.
2. quæst. 114. artic. 9. dicit, pendere hoc perseverantia
donum à dispositione recipientis, ut latius in libr. 12.
dicemus. Quoad hoc ergo potest optime donum per-
severantia à libero arbitrio pendere.

Neque contra hoc obstat argumentum à prædesti-
natione sumptum (de alijs enim infra dicam) primo
quidē, quia sufficere posset proportio quoad totum
perseverantia donum, quia totius prædestinationis
vel primi effectus eius non datur ratio ex parte ho-
minis, sed subsequentiū autem effectuum aliqua ratio
fundata in priori effectu dari potest: sic ergo totius
doni perseverantia, vel primi auxilij eius non datur
ratio ex parte liberi arbitrij, subsequentiū autem
auxiliorum dari potest. Addo præterea, aliud esse lo-
qui de prædestinatione aliud de collatione gratia,
vel auxiliorum eius, aut doni perseverantia, vel et-
iam gloriæ. Nam hæc duo distinguuntur ab Augusti-
no tanquam præparatio, & effectio. Fateamur ergo
præparationem doni perseverantia per propositum,
& electionem diuinæ voluntatis non habuisse ratio-
nem ex parte hominis, seu liberi arbitrij, & gratis et-
iam hoc admittimus non solum de integro dono, ut
plura auxilia efficacia, & prævenientia complectitur,
sed etiam de singulis auxilijs huiusmodi, quatenus
ab æterno fuerunt præparata. Nihilominus tamen
non sequitur idem esse dicendum de collatione ta-
lis doni quoad singulas partes eius, quia ipsamet præ-
destinatio hæc auxilia ita ordinavit, ut in tempore v-
num daretur propter bonum vsū alterius, quod ex
ipsamet prædestinatione in executione procedit.
Sicut electio ad gloriam fit sine meritis, ipsa ve-
ro gloria confertur ex meritis, idemque dici po-
test de quacunque gratia, & de quocunque auxilio
gratia præter quam de primo, quia ad illud non po-
test antecedere meritum. Sic ergo in presenti, licet
prædestinatio hominis ad perseverandum non ha-
beat causam ex parte hominis, nec pendeat ex aliquo
vsu liberi arbitrij, qui sit ratio prædestinationis: ni-
hilominus collatio ipsius doni potest fieri propter a-
liquem bonum vsū præcedentem, non quidē quo-
ad primum auxilium eiusdem doni, sed quoad cæte-
ra, ut explicavi.

Hh 3 Dico

20.
Assertio vi-
tesima.

Dico secundo. Bonus vsus liberi arbitrij futurus ex dono perseverantiae, & respectu ex vnoquoque auxilio efficaci in tali dono incluso non potest esse ratio per modum meriti dispositionis, aut impetrationis recipiendi tale auxilium, nihilominus tamen ille bonus vsus sub conditione prauius est necessaria conditio, vt tale donum habeat rationem efficacis auxilij, & vt gratuito possit Deus illud eligere, tanquam medium aptum ad saluandum infallibiliter praedestinatum, quem gratis etiam elegit. Atq; hoc tantum modo dici potest, donum perseverantiae prauius, vt à conditione ad hoc necessaria, vt per illud de- tur non tantum posse perseverare, sed et velle, & actu perseverare. In prima parte huius assertionis nulla est dissensio, illamq; satis probauimus in lib. 3. & 5. Et in summa ratio est, quia donum perseverantiae quo ad hanc partem, de qua tractamus, primario constat ex auxilijs praeuenientibus efficacibus. Vnumquodq; autem auxilium huiusmodi, et vt praeueniens, est effi- cax, vt in eod. libr. 5. probatum est, vnde est princi- pium, & causa vsus boni, qui ex illo sequitur, & con- sequenter et antecedente ordine naturae talem vsum: er- go non potest ille vsus esse aliqua ex dictis modis ra- tio dandi, vel recipiendi tale auxilium. Probatur co- sequentia, quia principium meriti non cadit sub idem meritum, quod ab illo procedit, eademq; ratio est de im- petratione, vt per se patet. Et sine dubio idem est de dispositione, quia effectus principij efficientis non po- test esse dispositio ad illud, licet interdum aliqui Tho- mistae hoc principium negent, de quo satis in libr. 8. dictum est. Ac deniq; talis vsus subsequens auxilium, non posse esse conditio praerequisita ad illud recipi- endum, quia est clara repugnancia in ipsis terminis. Et hic discussus à fortiori probat, vsus posterioris auxi- lij, v. g. secundi non posse aliquo ex dictis modis esse rationem dandi, vel recipiendi praecedens, seu pri- mum auxilium, quia est multo posterius, & ab illo, saltem remote, & radicaliter proceditur.

21.
Suadetur
secunda.

In secunda vero parte est dissensio, sed illa oritur ex alia principali circa efficaciam auxilij efficacis respec- tu liberi arbitrij, an sit per physicam praedetermina- tionem arbitrij prius natura, quam actu efficiat, an per moralem inductionem infallibilem ex conditio- nata praescientia. Supposito ergo hoc posteriori mo- do, quem sequimur, probatur assertionis pars, quia auxilia praeuenientia, quae ad hoc donum necessaria sunt, efficaciam esse oportet, quia dare debent infalli- biliter velle, & facere, vt capite praecedenti proba- tum est. Sed non possunt esse alia, nisi in praescientia Dei certum sit, & voluntatem liberam in tali, vel ta- li opportunitate, & tali modo excitatam non restitu- ram, licet possit resistere: ergo hic bonus vsus sub conditione est aliquid necessario supponendum in praescientia Dei, vt possit tale donum, vt efficax in æ- ternitate preparari, & in tempore dari. In hoc ergo vero sensu, & non in alio recte dicitur, donum actua- lis perseverantiae à libero arbitrio aliquo modo pen- dere, seu ab eius vsu futuro, & dicto modo prauius, vt à conditione necessaria. Possuntq; ad huius partis confirmationem addi rationes factae de auxilio effi- caci, quia si donum perseverantiae est necessarium ad salutem, & alias saltem isto modo non dicitur habitudinē ad vsum liberi arbitrij, nec erit in potestate hominis non habentis saluari, quia nullo modo habet in po- testate sua tale donum: nec erit aliquod auxilium dans posse perseverare, si non dat actu perseverare, quia praeter quodcumq; auxilium dans posse, neces- sarium est aliud praeueniens ad perseverandum, quod non est in hominis potestate. Nec deniq; intelligitur: quomodo tale donum relinquat integrum liberum vsum voluntatis, si non datur cum aliqua habitudi- ne ad illud, nec satis etiam percipitur, quomodo re- linquat veram potestatem resistendi eidem dono, & male operandi, si donum ipsum physice determinat

voluntatem. Sed haec latius tractata sunt in generali de auxilio efficaci, & in particulari de hoc dono ean- dem rationem habent, & eisdem modis expendenda sunt. Quomodo autem hoc non obicit, quominus, hoc donum det non tantum posse perseverare, sed etiam velle, & infallibiliter perseverare, ex dictis in lib. 5. satis notum est, & in solutionibus argumentorum necessario attingitur.

Ad primum ergo argumentum sumptum ex Con- cilio Tridentino dicente, hoc donum dari à solo Deo, *Dispositio* quamvis Concilium non addat illam particulam, *so- lo*, illam in bono sensu admittimus: supposita enim *damnum* optima distinctione, quam ille auctor docuit de per- *optimum* seuerantia prout dicit actum perseverandi, vel prout *Alia* dicit principium perseverandi, illam praesenti argu- mento applicamus. Cum ergo obijciatur sequi, vt do- num perseverantiae non sit à solo Deo, si sermo sit de perseverantia ipsa concedimus sequelam, quia actus, quibus perseveratur, sunt à libero arbitrio coope- rante diuino auxilio. Si vero sit sermo de dono pro auxilio praeueniente, quod est principium perseue- randi, negamus sequelam, ita vt particula *solo*, non ex- cludat physicam, & necessariam efficientiam, quam voluntas creata habet in illos internos motus illu- minationum, & inspirationum efficacium, in quibus tale donum consistit, nam illa est necessaria ad actus vitales, vt saepe est dictum, & ille auctor non negat, sed ita vt particula, *solo*, excludat cooperationem li- beram voluntatis. Sic ergo negatur sequela, quia licet Deus praebeat hoc donum cum habitu ad futurum vsum liberi arbitrij prauius sub conditione, nihilominus solus ipse facit in nobis ipsum donum, mouendo potentias, vt recipiant, & necessario coeffi- ciant auxilia illa, in quib. tale donum consistit. Nam vsus ille liber, qui futurus supponitur, non perimet ad productionem ipsius doni praeuenientis, sed po- tius ad effectum eius, & ideo solum sequitur, quod effectus doni sit futurus cum cooperatione liberi ar- bitrij, non vero quod effectus ipsius doni sit à libero arbitrio. Infusio ergo ipsius doni est à solo Deo, sed cum habitu ad liberum effectum, & consequenter cum eadem habitudine ad liberum vsum futurum. Quod certe non obscure significat Concil. cum loquens de hoc dono in c. 13. docuit vt de illo *nemo* *scribitur* ali- *quid absoluta* *certitudine pollicetur, tamen* si in Dei auxilio *furnissimam* *speciem collo. are.* & reponere omnes debeant: *Deus enim nisi ipsi illius gratia defuerint sicut cepit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.* In quibus verbis docet Concilium, esse in hominis potestate, & libertate ha- bere auxilium, quo actu perseueret, quod reuera sub- sistere non potest, nisi donum ipsum praeueniens, & efficax ad liberum vsum voluntatis praedictam habi- tudinem includat.

Ad secundum respondetur, optime concludere, donum perseverantiae in sensu declarato (id est, pro principio perseverandi, sic enim illa voce absolute sumpta vtimur, & vtetur) non esse efficienter à libe- ro arbitrio, neque ab illo in suo fieri, seu in sua infu- sione pendere: inde autem non sequitur, quod non infundatur cum habitudine ad futurum liberum vs- um, quia illa habitudo non est ad illud vsum tan- quam ad causam, sed tanquam ad effectum infalli- biliter futurum iuxta diuinam praescientiam, & vo- luntatem illi accommodatam. Vnde ad probationem, quod causa non pender ab effectu, respondetur, in illo modo loquendi non esse sermonem de propria de- pendetia, quae est causalitas, vel ex causalitate, sed lato modo prout significat quamcumq; conditionem nec- cessariam, vt aliquid fiat, & hoc modo licet effectus existens realiter non possit esse conditio necessaria, vt causa fiat, nihilominus effectus, vt prauius, vt fu- turus potest esse talis conditio, vt tale auxilium tanq; efficax liberi effectus donec ex intentione effica- ci, vt infallibiliter habeat effectum. Quae necessitas prouenit tunc ex parte obieci, & effectus, vt possit *infalli-*

infallibilis cum libertate coniungi, cum ex parte agentis à proposito, vt possit ex intentione efficaci finis mediū illud vt efficaciter eligere. Et ita hoc nihil derogat gratiæ, vel efficacitæ talis doni, & libertatem arbitrii commendat, optimeque cum gratia conciliat.

24.
Solutio
terti

Augustini
mens indi-
catur.

Ad tertium argumentum neganda est consequentia, si absolute sit sermo de dono perseverantia, & ideo contumaciter amitti non potest, quia non est integre donatum, donec per mortem consumetur, & tunc clarum est amitti non posse. Et in hoc sensu expresse loquitur August. dicto lib. de Dono perseverant. c. 6. & alibi sæpe. Si autem vt in eodem c. 6. tangit Augustinus dicatur hoc donum posse in hac vita contumaciter amitti, quia per hominem fieri potest, vt nō integre accipiat, prout reuera loquebantur Semipelagiani, & in contrario sensu dicatur, non posse hominem etiam hoc modo donum perseverantia contumaciter amittere, quando Deus illi donat efficacē gratiam, vt talem tentationem non habeat, nec tentationi succumbat, & ita perseverantiam amittat, vt in eodem c. 6. Augustinus replicat. Dicendū profecto est, illam impotentiam amittendi perseverantiam, esse compositam, non diuisam, quia liberum arbitriū re vera potest tali dono vt præuenienti resistere, & effectum eius impedire, non tamen facit, & quia Deus præuidit, arbitrium non resisturum, & impossibile est, scientiam Dei falli, ideo supposito auxilio efficaci cum tali præscientia dato, impossibile est liberū arbitrium componere contumaciam suam cū tali auxilio sub tali respectu, & intentione dato. Ita ergo loquitur Augustinus de efficacitā huius doni in dicto c. 11. & 12. de Corrupt. & grat. & in alijs præsertim in q. 2. ad Simplician. & de Spir. & liter. c. 33. & 34. vt in l. 5. late ostensum est. Vnde in hoc sensu distinguitur, tam antecedens, quam illatio, nam antecedens, scilicet, hoc donum tale esse, vt amitti non possit, est verum in sensu composito, & in eodem sensu negatur sequela, cuius probatio procedit de potentia diuisa, non de composita. Idem vero antecedens intellectum etiam in sensu diuiso falsum est, vt recte in probatione illationis ostenditur.

25.
Instantia.
Aluar.

Diluitur.

Dices eadem distinctione vti in eodem puncto auctores contraria sententia vt distincte P. Aluar. in eadem disput. conclus. 3. docet, dum ait, donum perseverantia non tollere ab homine potentiam non perseverandi, sed efficere, quod cum possit non perseverare, infallibiliter perseveret. Et ideo hæc duo esse composita, Petrus habet donum perseverantia, & potest non perseverare, si velit, hæc vero duo esse incomposita: Petrus habet donum perseverantia, & non perseverat. Quæ verba æquivalentia sunt illis vulgaribus de sensu composito, & diuiso, quibus etiam in solutione ad 3. dictus auctor vtitur. Respondet, verba quidem esse eadem, sensum autem longe diuersum. Nam dicti auctores in illa suppositione, cum qua fit sensus compositus, nullo modo includit liberum vsum arbitrii, sed quandam causam omnino antecedentem, & physice determinantem ad vnum ipsam voluntatem, non admittendo in illa vim resistendi illi dono absolute, & secundum se spectato. Nos autem persuasum habemus, hoc genus impotentia composita repugnare libertati, & ideo in suppositione necessaria ad legitimum sensum compositum includimus futurum vsum liberi arbitrii, saltem vt à Deo sub conditione præuisum, & ideo simpliciter, & absolute fatemur, liberum arbitrium posse resistere tali dono secundum se spectato, etiam postquā antecedenter datum est, nihilominus infallibiliter non esse resisturum, neque posse non perseverantiam componi cum tali dono vt dato sub tali præscientia, & intentione, seu proposito Dei. Vnde etiam in alio sensu diuiso est longe diuersus, nam si donum de se prædeterminans voluntatem illi inest, potentia, quæ in illa manet ad perseverandum, non est proxima secundum præsentem statum, & politis prærequisitis

ad agendum, sed est remota tantum, vtique si auferatur illud auxilium, & detur aliud aliter prædeterminans, quæ non est potentia sufficiens ad vsum liberum, & ex parte potius est passiva, quam activa. Nos autem dicimus, polito auxilio, esse in voluntate integram potentiam resistendi, non obstante præsentia auxilio, & sine alia prædeterminatione, quāvis certum sit voluntatem non esse in tali opportunitate vsuram illa potestate contumaciter resistendi, quia iam supponitur præuisum, quid sit actura.

26.
Solutio
quarti.

Ad quartum, dato antecedente, negatur consequentia, quia vt hoc donum det voluntati stabilitatem fortissimam, facit est, quod moueat illam, quando, & quomodo nouit Deus illi congruere, quia eo ipso, quod tale donum datur ex tali præscientia, infallibile est, non esse talem voluntatem superandam, licet possit. Et ideo simul dixit Augustinus in verbis ibi citatis dari homini liberam, & inuictissimam voluntatem, quomodo enim esset liberissima, si esset prædeterminata ad vnum? Est tamen liberissima, quia etiam recepto auxilio, & illo posito, possit illi resistere, & contrarium velle, & nihilominus est inuictissima, quia sic mota infallibile est in præscientia non esse vincendam. Vnde in sua Præfatione sic interrogat Augustinus. An audebis dicere, etiam rogante Christo, vt non deficeret fides Petri, defecit am fuisse? Et infra: Quasi aliud Petrus vilo modo vellet, quam pro illo Christus rogaret, vt vellet? Vbi non dicit: An audebis dicere defecere potuisse, sed defecit fuisse, nec dicit, quasi aliud Petrus vellet potuisset, sed aliud vellet: nimirum ostendens non deesse veram, & realem potestatem defendendi, vel volendi aliud, sed efficaciam consistere in infallibilitate effectus, quæ deesse non potest, vbi promissio, & consequenter præscientia Dei, & secundum illam congrua motio antecedit. Et similiter in alio loco interrogat. Quis audeat dicere, forsitan non manebunt? Quia dictio forsitan infallibilitati futuri effectus opponitur, & ita efficacitatem auxilii destruit. Denique hoc modo verissimum est, Deum esse potentem perseverantissime statuere eum, qui stat, sicut potens est lapsum erigere efficaciter, vtunque enim facit per vocationes congruas, vt alius locis Augustinus explicauit. Et ista æquiparatio ostendit, secundum Augustinum eundem esse modum efficacitæ in dono perseverantia, qui est in auxilio efficaci ad penitentiam agendam.

27.
Solutio
quinti.

Ad quintum negatur sequela, nam auxilium efficaciter detur cum habitudine ad futurum vsum liberum præuisum, non datur ob meritum eius, nec propter illum vt propter dispositionem, sed mere gratuito datur, & vt sic datum etiam est antecedens, & regens, ac ducens voluntatem, imo isto modo perfectissime ducit, quia congrue illam regit, & iuxta infinitam sapientiam regentis, vt ille, qui regitur, & recte, & indeclinabiliter ducatur ad perseverandum, & nihilominus etiam ipse se libere, & cum vera indifferentia moueat, & moueri se finat. Ad sextum negatur etiam sequela, quia dare velle, & perseverare nihil aliud est, quam ita dare posse, vt infallibiliter vellet, & perseveret, & hoc modo datur hoc donum prædestinatis, & nihilominus absolute verissimum est, quod perseverare pender à libero arbitrio prædestinati, vt iam probauimus. Et similiter illa condicionalis verissima est, Si prædestinatus non perseveraret, ex culpa illius esset. Quia non posset aliunde provenire. Tamen conditionalis nihil ponit in esse, & ideo non obstante illa hypothetica veritate, sicut prædestinatus infallibiliter perseverabit, ita infallibiliter non committere culpam perseverantia contrariam. Et licet vtrumque facturus sit libere, & cum vera potestate contrarium faciendi, nihilominus infallibiliter id faciet propter regimen diuinum ex certa scientia, & congruitate datum.

Solutio
sexti.